



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De remediis auaritiæ. Cap. XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

tiationem, qua ab eius laqueis crepti fuerant, rursus inuolui auaritiæ retribus, & insatiabiliter sitire res alienas, qui prius proprias contempserant propter Deum. Sic Iudas omnibus suis renuntiauerat: postea fur factus est, & loculos habens, Dominum maiestatis vendidit, & laqueo se suspendit.

Joan. 12, 6  
Mat. 27, 5

*De remediis auaritiæ.*

CAP. XXXV.

**R**EMEDIA auaritiæ. Primum, omnia pro Christo relinquere, & sub alterius regimine viuere, & si qua habuerit, ei plene resignare; & in nullo sui iuris esse, sicut in primitiua Ecclesia fideles sub Apostolis erant, & in monasteriis bene ordinatis claustrales. hoc est efficacius auaritiæ remedium: sicut Dominus docuit, Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Item, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Secundum est, considerare omnes perplexitates diuitiarum, & laqueos auaritiæ, & paupertatis libertatem & utilitatem. Diuitiæ enim periculosè acquiruntur; & cum labore & cum multa sollicitudine conseruantur: quia multorum inuidiæ patent, furum, raptorum, potentum, fraudulentorum. Vbi multæ sunt opes, ibi multi qui comedunt eas, tam consumētium quàm subtrahentium: à nullo securus diues, nec ab extraneis, nec à proximis. Sic est diues in medio cupidorum, sicut carnifex in medio canum famelicorum. Diuitiæ diu colliguntur, citò amittuntur. Multiplicatæ non minuunt, sed augent sitim auaritiæ, sicut potus hydropico. Quid ergo queris vnde plus crucieris? Affligunt nodum habitæ, etiam habitæ & amissæ. Pauca sufficiunt necessari-

Mat. 2, 41.  
1 Cor. 13, 4

Zuc. 14, 33

Mat. 19, 21

Eccles. 9, 10

cessitati. Mors citò rapit ab eis. Pœnas eternas  
 amatoribus suis lucrantur. Ab his omni-  
 bus libera est paupertas. Rapinas nolite con- *psal. 61, 13*  
 cupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor appo-  
 nere. Fructus diuitiarum est largitas eleemo-  
 synarum: sine qua infructuosæ sunt & pericu-  
 losæ. Diuitiæ conseruatæ, in malum domini *Eccles. 5, 12*  
 sui cedent. Semen accumulatum putrescit, se-  
 minatum fructificat. Tertium remedium est,  
 confidentia de Deo, qui non derelinquit spe-  
 rantes in se. iuxta promissum ipsius: Nolite *Mat. 6, 32*  
 solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut  
 quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim  
 omnia Gentes inquirunt: scit enim Pater ve-  
 ster cœlestis quia his omnibus indigetis. Qui  
 enim sic fecit hominem vt alimētis indigeat,  
 non patietur eum perire per necessariorum  
 subtractionē, si eius curæ se cōmittat. Quartum *Mat. 6, 33*  
 primū regnum Dei & iustitiā eius, & omnia  
 necessaria corporis adiciētur vobis. Nam qui  
 libenter vult homini dare cœlestia & maxima,  
 quomodo neget ei minima, id est, terrestria?  
 Si enim mali & crudeles homines, imò bestię  
 & bruta, filios suos nutriūt, multo magis opti-  
 mus & verus Dominus filios suos non dese-  
 ret: qui etiam benignus est super ingratos &  
 malos, quanto magis super bonos qui omnem  
 sollicitudinem suam in eum proiciunt? Non *psal. 36, 25*  
 vidi iustum derelictum, neque semē eius quæ-  
 rens panem. Vnum de tribus à Deo speran- *Observa*  
 dum est avaritiam proicientibus pro Deo:  
 quia aut procurabit homini necessaria, aut cū  
 parco victu & penuria dabit homini vires,  
 quas in abundantia posset habere; & hoc est  
 iucundius de modico esse magis fortem: aut  
 quod subtrahit corpori, refundet mēti in con-  
 solatione spirituali: vt libenter careat corpora-  
 li abundantia, quæ spiritualibus deliciis feli-  
 cius

Mat. 5.3

cius recompensatur. Insuper magnam gloriam in caelo meretur patienter tolerata pro Christo temporalis penuria: quia, Beati pauperes spiritu, &c.

*De gula.*

## CAP. XXXVI.

Cassian. li.  
5. de Spiri-  
tu Gastri-  
margia.  
6. 23.

**G**VLAE quatuor sunt species. Prima, ante debitum tempus, vel saepius quam deceat comedere, praeter necessitate, more pecudum. Secunda, cum nimia aviditate & impetu quodam vorare, sicut lupi & canes famelici. Tertia, nimis se implere, potius quam reficere, & plus sumere quam sit necesse ex inconsideratione vel delectatione. Quarta, nimis lauta vel exquisita quaerere. Haec nutrit avaritiam, sicut prior pigritiam vel acediam. Qui delicata quaerit, cupit diuitias, ut possit habere quae appetit. Nimia vero ciborum repletio pigritiam reddit: quia vas plenum ponderosum efficitur. Hebetat etiam intellectum, & affectum devotionis obruit & refrigerat, & agilitas retardatur, & in somnum ducit superflua ciborum repletio.

*De remediis gula.*

## CAP. XXXVII.

**R**EMEDIA gulae. Contra primam speciem sufficit bona voluntas, ut nolit plus vel saepius comedere quam sit conueniens. Infirmis autem non est lex posita. Iuvenes vero & laborantes sicut exigit necessitas, discretè refici possunt, quando consuetudo vel ecclesiastica institutio non repugnat. Contra secundam utilis est disciplina verecundiae, ut modestè se habeat, & impetum refrænet. Item consideratio: quia inordinata & nimis festinata refectio naturam grauat & minus nutrit, & plus æquo vult.